



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarum Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De intelligentia horum verborum, Dixit Deus. H

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



*Cur Sol factus est. si lux illa sufficiebat.*

F

Solet autem quæri, quare factus est Sol, si lux illa ad faciendum diē sufficiebat? Ad quod dici potest, quoniam lux illa forte superiores partes illustrabat, & ad illuminationem inferiorum Solem fieri oportebat. Vel potius idē, quia factō Sole diei fulgor auct<sup>9</sup> est. Ampliori. n. multo luce radiavit dies postea, quā ante. Si autem quæritur, quid de luce illa factum sit, cum modo nō appareat? Potest dici, aut de ea corp<sup>9</sup> Solis formatum, aut in ea parte cœli esse, in qua Sol est: non quod ipsa sit Sol, sed sic ei vnita vt discerni non valeat.

*Quomodo accipiendum sit illud, Dixit Deus; an sono vocis id Deus dixerit, an aliter.*

G

Præterea inuestigandum est, quomodo accipiendum sit quod ait: Dixit Deus, vtrum temporaliter, vel sono vocis illud dixerit, an alio modo? *Lib. 1. cap. 2. in princip. tom 3.* Aug. super Gen. tradit, nec temporaliter, nec sono vocis Deum locutum fuisse, quia si temporaliter, & mutabiliter. Et si corporaliter dicatur sonuisse vox Dei, nec lingua erat qua loqueretur, nec erat quem oportet audire & intelligere. Bene ergo vox Dei ad naturam verbi, per quod *Cap. 4. in princip. e. in eodem lib. 1. de Gen. ad litteram.* omnia facta sunt, refertur. Dixit ergo Deus fiat, &c non temporaliter, non sono vocis, sed in verbo sibi cœterno, i. verbū genuit intēporaliter in quo erat: & disposuit ab æterno, vt fieret in tempore: & in eo factum est.

*Quomodo accipiendum sit, quod dicitur pater operari in filio, vel per filium, vel in spiritu sancto.*

H

Hic quæri solet, quomodo accipiendum sit, quod dicitur pater operari in filio, vel per filium, vel in spiritu sancto. Hæc enim scriptura frequenter nobis proponit: vt, Omnia in sapientia fecisti Domine, id est, in filio, creauit Deus cœlum & terram. Et illud, Per quē fecit & secula. Super illū quoq; Psalmi locum: Verbo Domini cœli firmati sunt, &c. dicit Aug.

*Aug. concio. ne 2. ad ver-*



sum. 6. Psal.  
31. tom. 8.

cit Aug. quod pater operatur per verbum suum  
& spiritum S. Quomodo ergo hoc accipiendum  
est? Purauerunt quidam hæretici, quod pater ve-  
lut author & artifex, filio & spiritu S. in rerum o-  
peratione quasi instrumento vteretur: ex prædi-  
ctis verbis errandi occasionem sumentes, quod  
velut blasphemum atque sanæ doctrinæ aduer-  
sum abiicit pia fides. Non est itaque intelligendū,  
ideo scripturam frequēter cōmemorare patrē o-  
perari in filio, vel per filium, tanquam filius non  
posset facere, si ei nō porrexisset pater dexterā, vel  
tāquam aliquod instrumētū fuerit patris operā-  
tis: sed potius illis patrē verbis intelligi voluit cum  
filio & spiritu sancto operari, & sine eis nihil facere.

*Contra hanc expositionem surgit hereticus.*

I  
Sed dicit hæreticus, hac ratione hoc posset di-  
xisse, filium operari, per patrē, vel in patre, & spi-  
ritum sanctum cum vtroq; vel per vtrunq;, quia  
filius cum patre & sp. sanctus cum vtroque opera-  
tur. Cui breuiter responderetur: Ideo illud dictum  
esse, & non istud, vt in patre monstraretur autho-  
ritas. Non enim pater à filio, sed filius à patre ope-  
ratur, & sp. sanctus ab vtroque. Ideoq; etiam filius  
per spiritum S. legitur operari, quia cum spiritu  
S. operatur, hoc ipsum à filio habenti vt operetur.

*Alia prædictorum expositio.*

K  
Potest & aliter illud accipi, vt dicatur pater in  
filio vel per filium operari, quia eum genuit omniū  
opificē: sicut dicitur pater per eum iudicare, quia ge-  
nuit iudicem: ita & per spir. S. dicitur operari siue  
pater, siue filius, quia ab vtroq; procedit spir. S. fa-  
ctor omnium. Vnde Chry. sic ait, Nō vt hereticus  
inaniter suspicatur, tāquam aliquod instrumētum  
patris extitit filius: neque per eum pater dicitur  
fecisse, tanquam ipse facere non posset: sed sicut  
dicitur pater iudicare per filiū, quia iudicē genuit,  
sic etiam dicitur operari per filium, quia eum cō-  
stat

Chryf. to. 4.  
hom. 2. ad 1.  
Ga. ad Heb  
du illud.  
Per quem  
fecit & se-  
cunda.